



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

CXLIII. Markgraf Otto vereignet an Ludekin Kratz 9 Hufen in Sternhagen, am 15. Februar 1372.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CXLIII. Markgraf Otto verzeiget an Lubekin Kraz 9 Hufen in Sternhagen,  
am 15. Februar 1372.

Nos Otto, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, sacri Romani imperij Archicamerarius, Comes palatinus Rheni et Bavarie Dux. — Notum facimus tenore presentium univ[er]sis, quod pensatis fidelibus obsequiis quondam illustribus principibus Dominis Ludwico seniori et Ludwico Romano, Marchionibus Brandenburgensibus, fratribus nostris, necnon et nobis per strenuum Ludekinum Kraz, nostrum fidelem et dilectum, multipliciter exhibitis et nobis adhuc per amplius exhibendis, matura deliberatione prehabita et Procerum nostrorum consilio, Eidem Ludekino et veris heredibus suis dedimus et donavimus solenniter per presentes proprietatem novem manforum prope villam Styrnhagen sitorum, cum agris cultis et incultis, cum pratis, pascuis, aquis, paludibus, Lignis et cum omnibus Juribus, commodis, honoribus, fructibus, redditibus, precariis, pactis, censibus, proventibus et pertinentiis univ[er]sis, quibus predictus Kraz dictos mansos hactenus a nobis in Pheudum tenuit et possedit, in antea a nobis justo proprietatis titulo ad habendum, tenendum, uti fruendum libere quiete sine quorumlibet impedimento perpetuis temporibus possidendum. Concedentes etiam sibi gratiosius et fauentes, ut dictos mansos taliter appropriatos cum omnibus Juribus et pertinentiis suis legare, donare, vendere aut applicare poterit, quibuscunque locis ecclesiasticis vel personis, juxta sue libitum voluntatis, Renunciantes pro nobis, heredibus et successoribus nostris omni juri, actioni et impetitioni, quod vel que nobis in predictis mansis hucusque competeat, competit aut competere poterit, quomodolibet in futurum harum nostrarum testimonio literarum, que sigillo nostro communiri in evidenciam premissorum fecimus, presentibus strenuis viris Hassone de Uchtenhagen, Mora de Lindstede, Henningo de Berlin, militibus, Ottone Mörner, Curie nostre Judice, Henningo de Stegelitz seniori cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Premslaw, Anno Domini Millesimo Trecentesimo septuagesimo secundo, Dominica qua cantatur Invocavit.

Aus einem Copialbuche.

CXLIV. Der Rath zu Prenzlau belehnt die Söhne Mentso Schulzen's mit der Hälfte des  
Dorfes Blindow, am 7. März 1372.

In Nomine Domini Amen. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum fluxu temporis elabuntur et fluant aut obliuionis caligine deleantur, consuevit ea modernorum subtilitas scriptis publicis aut vivaci linguarum testimonio commendare. Hinc est, quod nos Consules ciuitatis Primslaw lucide ad univ[er]sorum noticiam cupimus pervenire, quod honestis et discretis viris Mentsoni Sculteti et Gherardo, fratri ejus, quondam filiis Mentsonis sculteti, nostri concivis bone recordacionis, et eorum veris et legitimis heredibus contulimus et per presentes conferimus in solidum et conjuncta manu, dimidiam partem totius Ville Blindow justo titulo pheodali cum omni